

navigiorum, quæ illum adducerent & reducerent, mercenariis. atque ita Petrum Balbum, quem quidem antea rei maritimæ imperatorem comitia creaverant, statim legerunt. A Balbo legatione non suscepta, quod quidem facere unis imperatoribus licebat, Dominico Trivisano templi Marcii procuratori eam curam mandaverunt.

Redierat in fines reipublicæ Christophorus Friapanes, de quo paulo antea diximus, ad eosdem Mugianos vexandos. quod ubi Andreæ Civrano renunciatum est, qui non longissime aberat: cum suis ad illum contendit, commissoque prælio Friapanem medio in agmine conspicatus, in illum se intulit. Non respuit congressum Friapanes: itaque cum uterque alterum saepius stricto gladio petisset, Civranus tandem hostis faciem medium lato vulnere fauciavit, atque illum in fugam convertit. eo diffugiente major pars agminis dilapsa: reliqui aut imperfecti, aut capti. Civrani egregia eo die virtus fuit. Gradonico in Carnis ad Cremonse municipium profecto, missisque ad oppidanos internunciis, cum mandatis, nisi antequam exercitus se ad muros conferat, dditionem fecerint, eos se omnes eorumque omnia in prædam militibus concessurum: illi minas veriti sine ullis conditionibus se legato tradiderunt. Venerant secreto ad ostium Lauredani Principis Germani duo, a Matthæo Episcopo Gurcensium missi, qui ejus nomine petierunt, ut ei liceret per fines reipublicæ iter facere, triremesque habere, quibus se in Flaminiam trajiciat: velle enim Romam ad Julium accedere tractandarum rerum inter Maximilianum Venetosque causa. atque ii quæ postulaverant, a Senatu impetraverunt. Sub hæc Andream Trivisanum qui Utini magistratus reipublicæ locum teneret, cum Senatorum prærogativa majora comitia creaverunt. Pauloque post Albertus Pius Maximiliani legatus Venetias venit, petens a Patribus, ut quatuor cives, binos ex Decemvirum, binos ex Senatorum ordine, in Germaniam mitterent, qui obsidum loco essent, ut Matthæus Episcopus Gurcensium tuto se reipublicæ posset committere: navesque triremes quatuor para-

*Andrea Ci-
vrani cum
Christopho-
ro Friapane
singulare
certamen &
victoria.*

*Cremonse &
Venetis re-
cipitur.*